

TRACTATUS XIV.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Quaeres 1. **Quid sit Religio?**

Resp. Est, *virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.* Non est ergo virtus Theologica, quia pro objecto immediato non habet Deum, sed cultum Deo debitum.

Quaeres 2. **Quinam sint actus Religionis?**

Resp. Interni, sunt devotio et oratio: externi, sunt votum et juramentum, de quibus, sicut et de vitis Religionis oppositis, agemus.

§. I. De devotione et oratione.

Quaeres 1. **Quid sit devotio?**

Resp. Est, *volitio efficax tradendi se prompte ad ea quae pertinent ad cultum Dei.* Unde est generalis actus religionis, a quo caeteri omnes informari debent.

Quaeres 2. **Quid sit oratio?**

Resp. Est, *actus religionis, quo res decentes a Deo postulamus, sive immediate, sive mediante sanctorum intercessione.*

Quaeres 3. **Quotuplex sit oratio?**

Resp. Duplex, nempe, *mentalis*, quae sola mente funditur. Et *vocalis*, quae non sola mente, sed etiam ore exprimitur; ergo ut sit vera oratio, mentalem necessario includit.

Quaeres 4. **Quotuplex sit oratio vocalis?**

Resp. Duplex; nempe, *privata*, quae fit a persona privata et privato nomine: et *publica*, quae fit a communitate vel a ministro Ecclesiae, nomine communitatis: haec est praefenda, quia Christus, *Matth.* 18.

de Virtute Religionis.

promittit specialem assistentiam iis, qui, ad orandum, in unum conveniunt.

Quaeres 5. **Quot sint necessaria, ut oratio pie fiat?**

Resp. Tria. 1. *Praeparatio*, tum *remota*, quae consistit in accurata legis observantia, tum *proxima*, quae in hoc consistit ut oraturus imploret divinum auxilium, et curam aliorum operum quantum fieri potest, deponat, foresque diligenter occludat alienis cogitationibus. 2. *Attentio*, sive ad sensum orationis, sive ad Deum: porro debet saltem esse virtualis, ut dictum est in Tract. de Horis canonicis. 3. *Perseverantia*, juxta illud Lucae 18. *Oportet semper orare, et non deficere.*

Quaeres 6. **Utrum oratio sit necessaria?**

Resp. Est necessaria, necessitate tum praecepti, tum medii, *Matth.* 7. *Petite, et accipietis:* dicendo, *petite.* praeceptum imponit, ait D. Thom. et addendo, *accipietis:* medium necessarium, ad obtinenda auxilia ad salutem necessaria, demonstrat.

Quaeres 7. **Pro quibus sit orandum?**

Resp. Pro omnibus, qui nondum sunt in termino, 1. ad Tim. 2. *Obsecro fieri orationes pro omnibus hominibus.*

§ II. De Voto.

Quaeres 1. **Quid sit votum?**

Resp. Definitur: *Promissio deliberata et spontanea, Deo facta, de bono meliore ac possibili.* . . . Promissio ergo debet esse 1. *deliberata*, id est, facta cum ea rationis advertentia quae ad peccatum mortale necessaria est. 2. *Spontanea*, id est, absque errore et metu gravi injuste incusso ad extorquendum votum. 3. *Deo facta*, quia est cultus patriae, qui soli Deo exhiberi potest. 4. *De meliori bono*, id est quod non sit impeditivum majoris boni. 5. *Et possibili*, quia nemo ad impossibile obligari potest.

Quaeres 2. **Quomodo dividitur votum?**

Resp. Dividitur in *reale*, quo promittitur res aliqua, v. gr. eleemosyna: vel actio exercenda per alium, v. gr. peregrinatio exercenda per alium. *Personale*, quo promittitur actio voventis propria, v. gr. jejunium. Et *mixtum*, quo promittitur propria actio et res aliqua, v. gr. distributio bonorum suorum cum ingressu religionis. . . . votum *personale* solum voventem obligat, nec per alium impleri potest et debet; *reale* ad haeredes transit, sicut et *mixtum* qua parte est reale.

Quaeres 3. *Quomodo dividitur votum personale?*

Resp. Dividitur in *solemne*, quod ab Ecclesia approbatum ac in perpetuum acceptatum est. Et *simplex*, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiae, saltem in perpetuum: sic vota scholarium Societatis Jesu ex Greg. XIII sunt simplicia, quia non sunt in perpetuum acceptata.

Quaeres 4. *Quomodo dividitur votum simplex?*

Resp. In *absolutum*, quod sine ulla conditione; et *conditionatum*, quod sub aliqua conditione emittitur, v. gr. voveo talem eleemosynam, si pater convalescit.

Quaeres 5. *An sit obligatio adimplendi voti?*

Resp. affirm. Juxta illud Psal. 75. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro.* Illa autem obligatio est gravis in re gravi, et levis in re levi. Porro materia voti censetur gravis, quae, si praeciperetur ab Ecclesia, obligaret sub mortali.

Quaeres 6. *Quot modis possit cessare voti obligatio?*

Resp. Tribus: irritatione, dispensatione, et commutatione.

Quaeres 7. *Quid sit irritatio voti?*

Resp. Est, *Annulatio facta ab eo, cujus potestati dominativae subjecta est persona vovens*, et tunc irritatio est directa; *vel materia voti*, et tunc est indirecta, seu prorsus est suspensio voti.

Quaeres 8. *Quaenam vota irritari possint?*

Resp. Ea quae sunt in praejudicium tertii.

Quaeres 9. *Quinam possint irritare vota directe?*

Resp. Possunt irritare vota tum realia, tum personalia, 1. *Superior*, respectu suorum subditorum. 2. *Pater*, (et in ejus defectu avus, tutor) respectu filiorum impuberum, quia, ex dispositione juris, illorum vota includunt hanc conditionem: *Nisi superior, vel pater contradixerit.*

Quaeres 10. *Quinam possint irritare vota indirecte?*

Resp. 1. *Pater*, potest irritare vota filiorum puberum, quae obsunt gubernationi familiae. 2. *Herus*, vota famulorum quae impediunt, vel minuunt debitum obsequium. 3. *Maritus*, vota uxoris, etiam ante matrimonium emissa, quae officium usui matrimonii, proli educandae, et gubernationi familiae; et vicissim, *uxor* potest irritare vota mariti in his, quae thorum spectant.

Quaeres 11. *An irritatio voti, facta sine causa, sit valida?*

Resp. affirm. Quia Deus non acceptat quae ipsi offeruntur cum alterius injuria; illicita tamen est, cum sit abusus potestatis contra bonum proximi et honorem Dei.

Quaeres 12. *Quinam possint dispensari a votis?*

Resp. Soli qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo, quia haec potestas pertinet ad externam Ecclesiae gubernationem: tales sunt Papa respectu omnium fidelium; Episcopus, et alii qui habent jurisdictionem quasi episcopalem respectu suorum subditorum. . . . Sunt tamen 5. vota ex consuetudine Papae reservata, nempe, *votum castitatis perpetuae, religionis approbatae, et triplicis peregrinationes, Jerusalem, Compostellae, et Romanae ad limina Apostolorum.* In his tamen potest Episcopus dispensare quando est necessitas, nec patet facilis ad Papam recursus.

Quaeres 13. *Quinam possint commutare vota?*

Resp. Ipse vovens potest commutare suum votum

in aliud certo melius et suae salutis utilius; sed requiritur auctoritas superioris ut commutetur in bonum minus, quia tunc intercedit partialis dispensatio; vel in bonum aequale, quia res fuit promissa in specie; ergo alia, nisi sit melior, solvi nequit sine consensu creditoris, nempe Dei, cujus vices gerit praelatus.

Quaeres 14. *Utrum ad valorem dispensationis, et commutationis in aliud bonum minus aut aequale, requiratur justa causa?*

Resp. affirm. Quia praelati nihil possunt circa jura Dei, nisi secundum ejus voluntatem rationabiliter praesumptam, quae est ut non concedatur dispensatio, nec commutatio sine causa, cum sit contra fidem datam, honorem Dei, et bonum animarum. Causae autem justae dispensandi, sunt, necessitas, aut major utilitas spiritualis voventis, et utilitas Ecclesiae, vel reipublicae.

§ III. De juramento.

Quaeres 1. *Quid sit Juramentum?*

Resp. Est, *Attestatio divini nominis ad fidem faciendam, aut promissionem firmandam...* invocari autem potest divinum nomen 1. explicite et in se, v. gr. *Deum testor. Per Deum ita est.* 2. Implicite, jurando per creaturas, caelum, templum, &c. quatenus Deus in eis relucet ac praesidet.

Quaeres 2. *Quomodo dividitur juramentum?*

Resp. Dividitur in assertorium, quo res aliqua praesens aut praeterita affirmatur, vel negatur. *Promissorium*, quo firmatur promissio rei praestandae, et, *execratorium*, quo Deus invocatur in testem simul et vindicem, si falsa sit assertio, vel promissio, v. gr. *Auferat me diabolus, vel puniat me Deus, si res non ita sit, &c.*

Ergo jurat qui dicit: *Coram Deo loquor: Deus scit quod non mentior: Deus videt, &c.* Ordinarie vero non

jurat qui dicit: *Per meam fidem. Fide viri probi. Fide Sacerdotis, &c.* Nam ordinarie sumuntur pro fide humana quam vir probus, Sacerdos in verbis, vel promissis adhibere debet. Dixi. *Ordinarie*: quia si quis per illas formulas intendit jurare, de facto jurat: unde intentio loquentis est attendenda.

Quaeres 3. *Utrum juramentum sit licitum?*
Resp. Est licitum, si debitis fiat conditionibus, quia est actus religionis, quo jurans implicite testatur Deum esse omniscium.

Objicies. Christus, *Matth. 5.* damnat omne juramentum: *Ego autem dico vobis non jurare omnino; ergo, &c.*

Resp. Nego ant. Particula *omnino*, sumitur pro sine causa, sine necessitate. *Illud quod dictum est, omnino*, inquit D. August. lib. de mendacio, cap. 5. *intelligendum est, ut quantum in te est; non ames jusjurandum.*

Inst. Christus addit: *Sit autem sermo vester, est, est, non, non; quod autem abundantius est, a malo est; ergo.*

Resp. Dist. ant. A malo est illius cui juratur, *conco* a malo est jurantis, *nego.* Ita D. August. in Serm. Domini in monte, cap. 30. *Itaque*, inquit, *non dixit: quod amplius est, malum est, sed a malo est: Tu enim non malum facis, qui bene uteris juramento ut alteri persuadeas quod utiliter persuades, sed a malo est illius, cujus infirmitate cogeris jurare.*

Quaeres 4. *Quot requirantur conditiones, ut juramentum sit licitum?*

Resp. Tres, ex Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Ad veritatem requiritur in juramento assertorio, ut jurans prudenter judicet verum esse quod jurat, licet forsitan sit falsum: et in juramento promissorio, ut jurans sincere facere intendat quod jurat. Qui jurat sine veritate est perjurus, et peccat mortaliter, etiamsi

res asserta aut promissa sit levis: nam invocare Deum in testem falsitatis, est gravis injuria. . . . item perjurium est, jurare cum restrictione mentali, aut aequivocatione, prout definit Innoc. XI. prop. 26.

Ad justitiam requiritur, ut juramentum sit de re licita, ita ut mortaliter peccaret, qui assumeret Deum in testem alicujus peccati, etiam venialis. Talis enim committeret gravissimam irreverentiam, ut definit Innoc. XI. prop. 24.

Ad iudicium requiritur, ut non juretur sine necessitate. Defectus tamen iudicii, est tantum peccatum veniale, modo absit scandalum, et pejerandi periculum, quod vix abesse potest in jurandi consuetudine, hinc qui in ea versantur, non sunt absolvendi, quin prius emendaverint suam pravam consuetudinem.

Quaeres 5. *Quandonam non obligat juramentum promissorium?*

Resp. Non obligat, 1. cum est de re illicita, aut impossibili, aut indifferenti. 2. Cum est factum per errorem vel dolum circa rei substantiam, vel circa causam finalem et motivum, quia deest verus consensus. 3. Cum materia jurata facta est illicita, vel impossibilis, vel notabiliter mutata, ut qui juravit ducere puellam quae postea fornicatur.

Quaeres 6. *An obliget juramentum promissorium, vi vel metu extortum?*

Resp. affirm. Quia licet sit secundum quid involuntarium, est tamen simpliciter voluntarium, unde naturaliter obligat, nec a jure irritatur, sicut votum.

Quaeres 7. *Utrum quis ex juramento ficto et doloso obligetur?*

Resp. 1. Si juret absque animo jurandi, non obligatur vi juramenti, quia revera non jurat, sed fingit se jurare; peccat tamen mortaliter, quia graviter abutitur nomine Dei. 2. Si juret intentione seria jurandi, sed sine animo se obligandi, est perjurus, sed obliga-

tur vi juramenti, quia obligatio est omnino inseparabilis a juramento promissorio.

Quaeres 8. *Quomodo tollitur juramenti promissorii obligatio?*

Resp. Tollitur 1. per remissionem illius in cujus favorem praestitum fuit juramentum, quia subtrahit materiam juramenti. 2. Per irritationem, commutationem et dispensationem, eodem modo quo votum, cum hac sola exceptione, quod non possit dispensari in juramento praestito in favorem alicujus, et ab eo acceptato, nisi bonum commune id exigat, vel nisi promissarius per injuriam extorserit juramentum.

Quaeres 9. *Utrum liceat exigere juramentum ab eo qui praevideatur pejeraturus?*

Resp. Non licet, quia exigens nullum emolumentum referret ex eo juramento, utpote contra eum, qui illud exigit, praestando. . . . Ab ea tamen lege excipitur Judex, qui ad instantiam partis juramentum exigit, quia tenetur ex officio adhibere omnia media, quibus solet elici veritas, alioquin videbitur praevaricari.

Quaeres 10. *Utrum liceat exigere juramentum ab eo qui per falsos deos juraturus est?*

Resp. Licet in gravi necessitati, quia non postulatur ut per sua idola juret, sed simpliciter ut juret, quod potest licite praestare: illudque juramentum valet ad faciendam fidem vel firmandum contractum.

§ IV. De vitiis Religioni oppositis.

Quaeres 1. *Quaenam vitia religioni opponuntur?*

Resp. Religioni opponitur per excessum superstitio, et per defectum irreligiositas.

Quaeres 2. *Quid sit superstitio?*

Resp. Est, *cultus falsi numinis, vel veri quidem, sed indebitus.*

Quaeres 3. *Quot sint species superstitutionis?*

Resp. Sunt quinque praecipuae, scilicet, idololatria,

divinatio, vana observantia, magia, et maleficium.

Quaeres 4. *Quid sit idololatria?*

Resp. Est, *cultus divinus creaturae exhibitus.* Est gravissimum laesae majestatis divinae peccatum.

Quaeres 5. *Quid sit divinatio?*

Resp. Est, *notitiae divinae usurpatio ope daemonis ad hoc invocati* sive, *expresse*, aliquid videlicet usurpando cum expressa intentione ut daemon cooperetur; sive *implicite*, utendo scilicet inediis nullam vim ad occultorum notitiam habentibus, neque naturaliter neque ex instituto divino, aut ecclesiastico.

Si divinatio fiat *per manes*, id est, per mortuos in speciem resuscitados, dicitur *Necromantia*. Si fiat per astra, dicitur *astrologia judicaria*. Si fiat *per sortes*, dicitur *sors divinatoria*, seu sortilegium, a quo sortiarum. Si per inspecta manus delineamenta, dicitur *chirromantia*.

Quaeres 6. *Quale sit peccatum divinatio?*

Resp. Necromantia est peccatum mortale gravissimum, quia continet expressum pactum cum daemone; aliae species divinationis, sunt peccatum mortale ex genere suo, propter tacitum commercium cum daemone; ergo a mortali excusat ignorantia et simplicitas.

Quaeres 7. *Quid sit vana observantia?*

Resp. Est, *superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum, adhibentur media vana, inutilia, et improporcionata.* Si assumantur ad scientiam repente acquirendam, dicitur, *ars notoria*. Si ad praecavendos funestos effectus ex fortuito eventu, dicitur, *observantia eventuum*. Si ad sanitatem obtinendam, vulnera curanda, dicitur *observantia sanitatum*. Si adhibeantur res sacrae, v. gr. preces, verba Scripturae, reliquiae, &c. cum certa persuasione aliquem effectum extraordinarium obtinendi, puta extinguendi incedium, dicitur, *observantia sacrorum*.

Quaeres 8. *Quale sit peccatum vana observantia?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia in ea daemon invocatur, saltem tacite et implicite.

Quaeres 9. *Quid sit magia?*

Resp. Est, *ratio, operandi mira ope daemonis, ad hoc expresse vel implicite invocati.* Est peccatum mortale ex genere suo.

Quaeres 10. *Quid sit maleficium?*

Resp. Est, *ratio nocendi aliis ope daemonis.* Unde est peccatum grave contra religionem et justitiam. Si magus noceat alicui in propria persona, aut in animalibus, vocatur *maleficium veneficum*; si eum flectat ad amorem carnalem, vel odium, vocatur *philtrum*.

Quaeres 11. *Utrum liceat recurrere ad magum, ut maleficium tollat?*

Resp. Non licet, si non possit tollere nisi per aliud maleficium, vel superstitionem, cum sit intrinsece malum invocare daemone; licet vero, si tollat per meram destructionem prioris maleficii, quia honestum est destruere opera diaboli.

Quaeres 12. *Quid sit cultus indebitus?*

Resp. Est tum, *cultus falsus*, sive *in se*, v. gr. falsarum reliquiarum expositio, sive in sua significatione, v. gr. hodierna usurpatio Judaicarum caeremoniarum significantium Messiam venturum. Tum *cultus superfluus*, a Dei instituto alienus, indebitis circumstantiis cumulatus, v. gr. oratio facta tali tempore, loco, situ, &c. Est solum peccatum veniale.

Quaeres 13. *Quid sit irreligiositas?*

Resp. Est, *peccatum quo Deus in se, vel in rebus, vel in personis sacris inhonoratur.* 5. Est, nempe tentatio Dei, sacrilegium, blasphemia, perjurium, et simonia. De perjurio et simonia jam egimus.

Quaeres 14. *Quid sit tentatio Dei?*

Resp. Est, *dictum vel factum ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum.* Est peccatum mortale ex genere suo.

quia gravem erga Deum importat irreverentiam: potest tamen esse veniale in eo qui non advertit actionem suam esse tentationem Dei, vel quia res non est valde extraordinaria, vel quia periculum est parvum.

Quaeres 15. *Quid sit sacrilegium?*

Resp. Est, *violatio rei sacrae*. Porro cum triplex sit species rei sacrae, nempe locus, res, et persona, triplex est sacrilegium, nimirum locale, reale, et personale. . . . sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo, tanto gravius, quanto res, quae violatur, est sacratior. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiae, v. gr. furtum unius assis in Ecclesia.

Quaeres 16. *Quid sit blasphemia?*

Resp. Est, *contumeliosa in Deum locutio*. Sive immediate, sive mediate in rebus vel personis sacris, in quibus sicut laudatur Deus, sic et contumelia afficitur. . . . si blasphemia procedat ex infirmitate, est *in Patrem*. Si ex ignorantia, est *in Filium*. Si ex malitia, est *in Spiritum Sanctum*.

Quaeres 17. *Quotuplex sit blasphemia?*

Resp. Quadruplex, nempe, haereticalis, imprecativa, juratoria, et deonestativa.

Haereticalis, est ea, qua de Deo aliquid contumeliose affirmatur, v. gr. quod sit injustus, crudelis, &c. Vel negatur, v. gr. quod sit omnipotens, providus, &c. Duplicem continet malitiam specificam.

Imprecativa, est ea, qua quis Deo malum imprecatur, v. g. *Pereat Deus; utinam Deus non esset, &c.*

Juratoria, est ea, qua quis jurando blasphematur, v. gr. *Hoc ita verum est, ac verum est Deum existere.*

Deonestativa, est indecens nominatio membrorum Christi. v. gr. capitis, ventris, &c.

Quaeres 18. *Quale peccatum sit blasphemia?*

Resp. Est omnium peccatorum mortalium gravissimum, nec admittit levitatem materiae: unde ob solam actus imperfectionem potest excusari a mortali

TRACTATUS XV.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Quaeres. *Quot sint virtutes Cardinales?*

Resp. Sunt quatuor: prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia, de quibus agemus duobus dissertationibus.

DISSERTATIO I.

De prudentia, fortitudine, et temperantia.

§ I. de Prudentia.

Quaeres 1. *Quid sit prudentia?*

Resp. Est, *virtus moralis, qua dignoscitur quid i quolibet negotio agendum sit, vel fugiendum*. Unde in alias omnes virtutes generalem habet influxum.

Quaeres 2. *Quodnam sit objectum prudentiae?*

Resp. Objectum *materiale*, sunt actiones humanae particulares, de quibus judicat an honestae sint, an turpes, ex quo judicio voluntatem inclinatur ad eas amplectendas, vel fugiendas. Objectum *formale* vero, est conformitas actionum humanarum cum veritate hic et nunc practica.

Quaeres 3. *Quot sint officia prudentiae?*

Resp. Tria, nempe, *bene consultare*, de honestate et inhonestate agendorum: *bene judicare*, de mediis pro loco et tempore adhibendis, et *bene imperare* executionem.

Quaeres 4. *Quotuplex sit prudentia?*

Resp. Duplex, *personalis*, quae solum bonum operantis attendit. Et *gubernatrix*, quae attendit bonum